

cipem, penes quem summum in illos jus esset, licere. Ad hæc foederati, acerrimos illorum hostes a Regis latere non discedere, queruntur; quæ adversus ipsos consilia inita sint, haud ignorare se: affirmant, petunt, ut externæ copiæ dimittantur; injuriis, quæ a Guisio quotidie illis inferrentur, obfistatur; eorum religionis libere exercendæ facultas detur; e singulorum virtute, atque in rempublicam meritis dignitates tribuantur; gravioribus, atque iniquis tributis plebs levetur; totius regni ordinum conventus celebrentur. Postulatis Rex haud quaquam respondendum ratus, facialem armatum ad eos mittit, qui obtestetur; cum ad Regem imperii administratio, delectus militum, pecunias imperare spectet; cumque Condæ cum suis ea, quæ cunctis innotuerant, egisset; coram Rege exarmati, atque obtemperaturi se sisterent, an quæ egerint tueri, atque cœptis insistere velint, declaraturi. Eo audito, ad unum illud, quo absoluta religionis libertas petebatur, conversi, cum Equitum Magistro in colloquium descendunt; quo Regem binas in suo regno religiones nunquam permissurum; quidquid edicto caveretur, pro tempore statutum; ut perpetuum foret, nunquam se quoque auctore concessurum, constanter affirmant: omnis concordiae ratio abrumpitur.

Foederati Aurelianum capiunt, Lutetiam ad summam rerum egestatem adigunt. Regis præfecti Humallius, Longavillius, atque alii, Bufenaliū quingentis equitibus, tribus pedum millibus adoriuntur, magno impetu tormentis quassatum deditione recipiunt. Eo capto, nullo negotio propinquus oppidis in potestatem reductis, laxari annona cœpit. Carolus interim majori sollicitudine milites cogit; vim argenti undique in belli sumptus parat; reliquorum Principum auxilia implorat. Annibalem Rucellajum Venetias ad Senatum mittit, qui cum Arnolfo Ferrerio, ordinario legato, ad Principem Patresque introductus, quæ gravia, atque acerba Galliae denuo contigissent, expositis, ut pecunia Regi subveniretur, efflagitavit. Verum ejusmodi erat eo anno rerum conditio, ut crebris de bello a Selymo adversus Venetos suscipiendo sparsis rumoribus, ingentem auri vim in maritimis rebus procurandis effundere Senatus coactus esset. Quapropter uti

an-

1567.

Gallorum
foederatorum
petitiones.Carolus
Rex foederatis
obtestatur.Aurelianum
ab Ugonotis
captum.Bufenaliū
a regis cap-
tum.Annibal
Rucellajus
a Carolo
Venetias
missus.